

70. 45. 57
DISSERTATIO POLITICA

PRIOR,

DE

TRIBUS CAUSIS,
DEO, VIRTUTE ET OC-
CASIONE, AD FORTUNAM
HOMINIS CONCURRENTIBUS
OBTINENDAM,

Quam,

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE & ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c. &c.

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSU,
IN ACADEMIA REGIOMONTANA PATRIA,


Publicae discussioni subjiciunt.

PRÆSES,

M. CHRISTIANUS MASECOVIUS,

Regior. Alumn. & Commun. Convict. Insp. Secund.

ET RESPONDENS,

CONRADUS  Steinbovel

Tapiav. Pruffus.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
ANNO M DCC VI. d. 21. Jul.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

S. R. MAJESTATIS IN PRUSSIA
INTIMIS IN REGIMINE PRUSSICO CONSILIARIIS,
VIRIS
ILLUSTRISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS,
DN. CHRISTOPHORO, COMITI
à Wallenrodt/

Provincialis Curiae Magistro, & Ordinis Prutenici Equiti,
Hæreditario Domino in Pachollen / Preckelwitz / Altstadt / Witkinen /
Tregelacken / &c. &c.

DN. CHRISTOPHORO ALEXAN-
DRO à Rauschken/

Supremo Burggrabio, ac Prussici Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Eisewagen / Rirschnehen / Nadrau / &c. &c.

DN. GEORGIO FRIDERICO à Krenken/

Cancellario, Tribunalis Præsidi, Feudorumq; Directori,
Prussici Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Weslinen / Poren / Wesselsböven / &c. &c.

DN. FRIDERICO WILHELMO
à Ranik/

Supremo Mareſchallo,
Hæreditario Domino in Podangen / Lomp / Rosenau / Maulſriſken &c. &c.

SUMMIS MÆCENATIBUS AC DOMINIS
GRATIOSISSIMIS,

Se suaq; studia commendaturus, hanc leviden-
sem dissertationem, cum calidissimo exo-
ptatæ prosperitatis voto

humillimè offert & consecrat
CONRADUS Steinhövel / Resp.

DISSERTATIO POLITICA
POSTERIOR,
DE
TRIBUS CAUSIS,
DEO, VIRTUTE ET OC-
CASIONE, AD FORTUNAM
HOMINIS CONCURRENTIBUS
CONFIRMANDAM,

Quam,
SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE & ELECTORATUS

BRANDENBURGICI HAEREDIS &c. &c. &c.

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSU,

IN ACADEMIA REGIOMONTANA PATRIA,

Publicae discussioni subjiciunt,

PRÆSES,

M. CHRISTIANUS MASECOVIUS,

Regior. Alumna. & Commun. Conviçt. Insp. Secund.

ET RESPONDENS,

CONRADUS Steinhövel /

Tapiav-Prussus,

Loco Horisq; solitis,

ANNO M DCC VI d. 24. Jul.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

V I R O
ILLUSTRI, MAGNIFICO atq; GENEROSISSIMO,
DN. GEORGIO ERNESTO
à SCHLIEBEN,

S. R. M. in Prussia Provinciali Consiliario Meritissimo, nec non su-
premo Præfecto Tapiaviensi Gravissimo,
Hæreditario Domino in Farau/ Gesau/ &c.
PATRONO HUMILLIMA DEVOTIONE COLENDO,

Item,

V I R O
PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO
DN. ANTONIO FRIDERICO
WERNICK,

S. R. M. in Prussia Consiliario Gravissimo, & supremo Camerae
in Prussia Præfecto vigilantissimo,
PATRONO SUMME COLENDO,

Nec non

V I R O
PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO,
DN. DANIELI BOY |

S. R. M. in Prussia Supremo Redituum Receptorum Fidelissimo,
Bellicarum rationum Commissario spectatissimo & Con-
sistorii Pomizaniensis Assessori Gravissimo,
Hæreditario Domino in Dronen/ &c.
PATRONO SUMME VENERANDO, AVUNCULO
HONORATISSIMO,

Hanc posteriorem Dissertationem eò quò
par est humillimò observantiæ cultu in sui studio-
rumq; suorum perpetuam commendationem

offert & consecrat

CONRADUS Steinhövel /
Resp.

Thomas Campanella, in Libello de Monarchia Hispanica, Cap. I., sic exorditur hunc tractatum: *In acquisitione & moderamine cuiusvis domini tres causa concurrere solent: videlicet Deus, Prudentia & occasio.* Probat hanc propositionem inductione multorum imperiorum, & deniq; descendit ad Imperium Hispanicum, atq; ad id quoq; tres hasce causas concurrisse prolixè ostendit. Hæc speculatio nobis ansam suppeditavit ad hanc deviendi meditationem, ad uniuscuiusq; hominis fortunam tres causas concurrere: DEUM, VIRTUTEM, OCCASIONEM. Veluti enim illa Campanellæ meditatio pulchra omninò est, quæ verò majori ex parte in theoria duntaxat consistit; ita si non utilius, certè tamen haud minus luculentum nostrum iudicamus propositum, quod ad vitam practicam salutaria quædam nobis conferet.

§. II. Primùm hic SUBJECTUM, OBJECTUM & PRÆDICATUM juxtà ordinem singulatim sunt perpendenda. Ad SUBJECTUM tria referuntur: DEUS, VIRTUS, OCCASIO. Deus hic eò respectu sumitur, quatenus suâ voluntate hoc vel illud in rebus humanis decrevit, atq; hunc vel illum statum hominem occupare debere, cupit. Quò respectu dici possët *Fatum divinum*. Nam fatum à fando quod dicitur, notat voluntatem, iussionem & decretum DEI de re. Indè Minutius Felix in Octavio: *Quid aliud est fatum, quàm quod de unoquoq; nostrum Deus fatus est?* Quò sensu etiam accepit fatum apud Gvevarram in Horol. Princip. Lib. II, Cap. XXXI. Epistola Atheniensium ad Lacedæmonios: *Maluissimus quidem hæc voluntate vos antehac fuisse, & quod nunc petitis, ante petiisse. Sed quid faciamus? Si ita fata mala utrisq; propitia voluerunt, ut & vos in hoc bello succumberetis, & nos*

ex clade vestra nihil emolumenti caperemus. Est enim regula minime fallax. Quicquid à deo constitutum decretumq; est, nec ingenio humano corrigi, nec potentia impediri posse. Promovetur verò voluntas ac fatum DEI duplici modo, vel mediata vel immediate sive ordinarie vel extraordinarie. Ordinarie per ordinem Reipublicæ & leges in eadem, extraordinarie hisce posthabitis per casus inopinatos.

§. III. Secunda causa generaliter hic dicitur VIRTUS. Non enim ad omnem prosperitatem humanam eadem requiritur virtus, sed pro diversitate functionis diversa. Alia virtus requiritur in bello ad progressus felices faciendos, alia in Republica, inq; hac, alia in rebus Ecclesiasticis, alia in rebus Politicis. Quapropter rectè hic ponitur Virtus, genus, sub quo species omnes comprehenduntur. Simul etiam minus incongruè hoc loco per hanc causam secundam capacitas munere ritè fungendi intelligi potest. Si quando enim quispiam ob capacitatem ad functionem aliquam promovetur, ob virtutem illi spartam concessam esse, dici solet.

§. IV. Tertia deniq; causa hic est OCCASIO, denotatq; (1) commodum & justum tempus, quò aliquid commodè fieri potest & justè fieri debet. Quam in rem legitur Erasmi. Roterod. A. adag. Chiliad. i. Cent. VII. A. adag. LXX. *Nosce tempus*, & expressè Hippocrates *καταγγελλίας* initio: *χρῆν*, *ἔτιν ἐν ὁ καιρὸς, καὶ καιρὸς ἐν ὁ χρῆν* ὁ πλις. *Tempus est, in quo occasio, occasio in quo multum temporis est.* Maximè appositè quoq; nostram in rem Cic. Lib. I. de Invent. *Occasio est pars temporis, habens in se alicujus rei idoneam faciendi & non faciendi opportunitatem.* (2) Occasio est casus inopinatus exurgens, qui rei alicui faciendæ vel obtinendæ ansam præbet. *Occasio*, inquit Festus, *est opportunitas temporis casu proveniens.* Habet Ambrosius Calepin. in Lexic. sub Tit. *Occasio.* Quæ omnia in sequentibus exemplis erunt dilucidanda.

§. V. Hæ tres causæ in nostra hæc disputatione SUB-
JECTUM constitsunt, quod versatur circa OBJECTUM,
FORTUNAM hominis, cujuscunq; hic fuerit conditionis.
Secundum Aristot. Lib. II. Physic. Cap. V. Text. 52. *Fortuna*
est causa secundum accidens in iis, quæ propter aliquid sunt. A
quo haud dissentire videtur Cic. de Divinat. hisce verbis:
Quid est aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi
quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atq; eve-
nire, vel aliter cadere atq; evenire potuerit? Penes hanc signi-
ficationem etiam quàm notissimum est, vocabulum hoc me-
dium esse, & utrumq; contrariorum denotare, prosperum
nempe & adversum. Sicuti alleg. Thom. Campanella c. lo-
co inquit: *Fortuna est rerum terrenarum successus, sive bonus*
sive malus. Hinc dici solet in proverbio: *Quilibet fortuna*
suae sabet, i. e. ut quis sit felix vel infelix, ipsè causa existit.
Sic pro adversa re sumitur fortuna, quando in proverbio
dicitur: *Fortuna, quem nigrum finxit, hunc non universum*
erum candidum reddere potest. Vid. Erasmi. Roterod. Adag.
Chiliad. I. Centur. I. Adag. XCIII. pro re felici verò sumitur
hoc proverbio: *Fortunatior est, quàm sapientior.* Sæpissimè
tamen fortuna sumitur pro terrena felicitate, illiusq; parti-
bus omnibus, tam generatim quàm speciatim, modò pro hac
modò pro illa prosperitatis specie. Ita in genere apud Ter-
rent in Andria: *Tum unò ore omnes omnia bona dicere &*
laudare fortunas meas. Inde q; etiam phrasis Ciceroniana:
Fortunam alicujus defendere, notat omnem felicitatem defen-
dere. In speciè pro divitiis sumitur apud Ausonium:

Fortunam reverenter habe, quicumq; repente
Divites ab exili progredièrè loco.

Hincq; phrasis, amplificare fortunas suas, i. e. divitias. Pro
honoribus verò apud Ciceron, *Honoribus amplissimis fortu-*
nisq; maximis ornatus Imperator, Atq; hac significatione ulti-
ma

4
ma nos sumimus vocabulum fortunæ, quatenus denotat hominis felicem statum, tum in genere, tum in specie: honores, divitias, potentias &c.

§. VI. Expositis Subiecto & Objecto, PRÆDICATUM etiam venit explicandum. Dicimus nempe, dictas causas tres ad Prosperitatem hominis CONCURRERE. Quò vocabulò hoc innuere volumus: Prosperitatem aliquam hominis, ex quibuscunq; illa consistat partibus, veram ac firmam esse non posse, nisi primùm DEus eam decreverit, concesserit, deinde homo eàdem dignum se reddiderit, aut se dignum reddere operam navaverit, & deniq; tempore justo aut casu aliquò exsurgente debità arripuerit, adeò, ut una ex hisce si absit causa, fortuna ista vera prosperitas dici nequeat. Atqui cum duplici respectu hic fortuna sit consideranda, quatenus OBTINENDA & quatenus CONSERVANDA est, eam utròq; respectu requirere tres causas descriptas, judicamus. Id quod jam explicandum & stabilendum venit.

§. VII. Primam causam DEum, vel Fatum divinum requiri ad fortunam hominis, nemo sanæ mentis inficias ire fuerit ausus, modò non sit de grege Stoicorum, qui fatum aliquod somniant, quo omnia humana, & vel scelera etiam, necessitate quâdam inevitabili fieri, delirarunt. Seneca Natural. Quæst. Lib. II. Cap. XXXVI. hæc habet: *Quid intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumq;, quam nulla vis rumpat: Hanc si sacrificiis, & capite niveæ agnæ exorari judicas, divina non nosti.* Cap. verò XXXVIII. hæc præterea habet: *Fatum est, ut hic disertus sit, sed si literas didicerit: ab eodem fato continetur, ut literas discat: ideò discet. Hic dives erit, sed si navigaverit. At in illo fati ordine, quò patrimonium illi grande promittitur, hoc quoq; protinus fatum est, ut naviget, ideò navigabit.* Tale fatum enim,

fi

5
fi esset à DEO profectum, cui illud Seneca hoc locò adscribit, quippe sic pergit Cap. XXXVI. *Sapientis quoq; viri sententiam negatis posse mutari. Quando magis DEI;* contorta sane multa à Deo proficiscerentur, id quod omninò absurdum. *Malorum enim alicui causam esse Deum, cum bonus sit, refellendum est omninò,* pie disserit Plato Lib. II. de Republ. Præter Deum verò fatum si esset, se ipsum quod non nosset, undè tam sapiens in rerum natura ac Republica ordo? Utròq; verò modò liberum arbitrium hominis in moralibus tolleretur. Deus verò rerum omnium gubernator ac moderator cum sit tenendus, tenendum quoq; est, eum sibi hominum prosperitatem reservasse, hanc huic, illam alii concedendam. Sane Rex in Republica palmaria quævis suæ reservat dispositioni. Indè prosperitas hominum, cum palmarium quoddam sit, super quos DEUS imperium habet, quidni etiam suæ dispositioni divinæ eam reservaverit? Rectè Aristot. Lib. I. Eth. Cap. IX. *Si quæ res aliæ à Deo hominibus date sunt, rationi consentaneum est, felicitatem quoq; esse desiderari.* Indè, quem Deus Principem aut Regem esse voluit, eum nasci sivit de stirpe Regia, aut singularibus casibus, qui studiis humanis institui non potuere, ad tantum honorem protraxit. Quem divitem esse voluit, eum vel nasci decrevit ex parentibus ditissimis, vel ejus conaminibus incrementum addidit ad potestates honoresq; capescendos ac divitias congerendas. Hinc ii, qui contrà DEUM, rerumq; ordiné honores vel divitias amplissimas, fortunasq; summas cœcò impetu arripuere, eorum prosperitas haud fuit alicujus momenti. Ecce famosissimus ille *Thomas Anello* Neapolitanus, Anno 1647. ex abjecto & pauperrimo piscatore subitò evasit potentissimum caput super multa millia hominum, ac mirabili modò divitiis ingentibus affluere cœpit. Sed cum palam esset, DEUM non concurrere ad tan-

tam ejus felicitatē, hæc vana erat, ac furore mentis morteq; violentā illicò extinguebatur. Sicuti prolixè ex aliis autoribus Happelius in Curios. Relat. Tom. III. Part. I. Idem eadem tradit de *Stencò Radzin* Moscovitico Rebellatore, qui Anno 1667. simili modò arripuit & potestatem ingentem & divitias haud vulgares, sed quoniam fortuna hæc primā causā destituebatur, Deò nempe, illicò supplicio horrendò finienda erat. Idem sentiendum de Psevdo Principibus, qui in Portugallia, Moscovia aliisq; in locis astutiā fortunam nequaquam stabilirè potuere, quod Deum simul autorem concurrentem non haberent.

§. VIII. Sed tamen prima causā hæc fortunæ non videtur esse sine controversia. Si enim à Deo fortuna, cur eadem indigni resurgunt? Cur vitiosi eadem sæpè destituntur? Cur vel maximè indignos sæpius coronā ac sceptrò effulsisse, contra viros sapientes in obscuro latitasse, legimus? Cur in statu mediocri quotitiana docet experientia, vitiosos & indignos promoveri sæpè præ virtuosos ad luculentissimam functionem, obtinere splendidas divitias ac ceteroquin alias felicitatis partes, contra autem viros modestos, honestos, prudentes, sapientes, egestate, obscuritate, unò verbò, iniquā fortunā suppressi? Si à Deo justo, sequitur ab eo felicitatem non nisi dignis tribui posse, minimè vitiosis. At quæ divina, quæ justa prosperitatum distributio, si virtuosus eget, vitiosus abundat, stupidus imperat, sapiens patet, dignus luget, indignus lætatur? Ad hæc respondemus, calamum in divinis rebus usquequam titubantem, & hanc Dei rationem non valere enodare. Et si nihil diceremus, nisi hoc, quod Deus absolutam suprâ homines potestatem habeat, hinc pro lubitu posse huic prosperitatem dare, alii eam retrahere, nemini quidpiam debere, & tamen pro ineffabili sua justitia & perfectione errare

non

7
non posse, multum sanè circà hanc rem diceremus. Sed
tamen ad rem propius accedere possumus. In genere di-
cendum: Multa nobis ob certa obstacula alia videri & ta-
men alia esse, multa quoq; nobis absurda videri, quæ verò
nil minus quàm absurda sunt. Specta de altissima turri ci-
vitatem secundum optimum ordinem ædificatam, & domus
tamen in eadem confusissimè collocatæ videbuntur, ubi
verò descendis & propius accedis, plateas vides secundum
optimam seriem institutas. Quoties contingit, ut è lon-
ginquo pro trunco hominem, lupum pro lapide, hominem
pro arbore animus concipiat? Baculus in aqua jacens, fra-
ctus aut distortus videtur, utut sit rectissimus. Quid mi-
rum, animo humano, nonnunquam DEI decreta absurda
videri, quod illa è longinquo concipiantur & humana im-
becillitate, etsi in se non alia nisi sanctissima & justissima
esse possint? Deinde Deus non tradit indigno prosperita-
tem, ut eadem abutatur, sed eadem dignum, quantum ob
imbecillitatem humanam fieri potest, sese reddat. Non
concessit Neroni potestatem ut Imperatoriam, eadem ty-
rannidem exerceret, nec summum imperium Heliogabulo,
ut voluptatibus immergeretur, nec Cleopatræ divitias in-
gentes, ut unionem pretiosissimum acetò perderet; verùm
unicuiq; tradit honores, potentiam, divitias ut ritè usurpen-
tur. Quod, quando non fit, argumentum præbet apertissi-
mum, prosperitatem non DEI sed hominum culpà in ho-
mines indignos devenire. Quid verò, quod virtuosi ta-
men sæpè omni destituantur fortunâ? Fortassis eadem si
fruerentur, minus essent virtuosi. Sed objicitur. Deus ta-
men efficere posset, ut prosperitas salutaris esset virtuosis
& omnibus hominibus. Respond. Si hoc ejus justitiæ con-
gruum esset, faceret, sed quia non facit, justitiæ congru-
um non est. Imò deniq; sæpè à Deo prosperitas non est,
etiamsi

etiamsi videatur à Deo esse, sed tùm nec vera prosperitas est, nec durabilis. Quibus enodatis concludimus; ob hoc, quod imperferutabile nobis sit, cur huic prosperitas adimatur, quæ confertur alii, dubitandum non esse, primam causam fortunæ humanæ esse DEum.

§. IX. Secunda causa fortunæ VIRTUS etiam facile probari potest. Non quidem quod semper sit, sed esse debeat. Sane (1) putandum non est, veram fortunam ac prosperitatem cæcis oculis per orbem terrarum discurrere & promiscuè in quosvis ruere, posthabito virtutis respectu, sed id potius de fortuna perversa tenendum. Indè, quibus satis est fortunam obtinere, eadem utut indigni sint, illi suæ prosperitati pessimè consulunt, eamq; reddunt minus prosperam. Quò respectu credo veteres olim atrò carbone depinxisse fortunam, utpote Cic. Lib. II. ad Heren. *Fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi. Cæcam, ob eam rem, quia nihil cernat, quò sese applicet. Insanam autem ajunt: quia atrox, incerta, instabilis, sit, brutam, quia cum multis incommodis conflictatur propter immensam pecunie cupiditatem.* (2) prosperitatem cujusvis hominis ad communem felicitatem ceu partem ad totum directam esse debere, Politicum est principium, si hoc, nemini obscurum esse potest, virtutem causam esse debere prosperitatis, quod sine virtute communis prosperitas promoveri nequeat. (3) Quicquid à Deo est, medio aliquo arripiatur, necessum est. Prosperitatem verò à Deo esse, jam diximus. Quò ergò mediò alio eam quis dignius arripere poterit, quàm virtute? Ex quibus consequitur, fortunæ usquequaque virtute occurrendum esse, ipsa verò si occurrat, virtute accipiendam. Admodum pulchrè Balthasar Gracian in Tract. cui Tit. L' Homme de Cour maxime XXI. *Il ya des regles de bonheur, & le bonheur n' est pas toujours fortuit à l' égard du Sage.*

Son

9
Son industrie y peut aider. Quelques-uns se contentent de se
venir à la porte de la Fortune, en bonne posture, & attendent
qu'elle leur ouvre. D'autres font mieux, ils passent plus avant,
à la faveur de leur hardiesse, & de leur mérite, & tôt ou tard
ils gagnent la Fortune, à force de la cajoler. Mais, à bien filoso-
fer, il n'y a point d'autre arbitre, que celui de la vertu, & de l'
application. Car comme l'imprudence est la source de toutes
les disgrâces de la vie, la prudence en fait tout le bonheur. Atq;
tali modò putamus fortunam, virtute si suffulciatur, haud
ita obesse posse, quàm eadem si destituatur. Veluti Cic. Lib.
IV. ad Herenn. *Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi
firmius in virtute, quàm in casu presidium collocavit.* Pulchrè
etiam Seneca: *Ut pumilio, etiamsi in monte consistat, pusillus est:
Colossus etiam in puteo magnus: ita sapiens in quacung; fortu-
na suis bonis magnus est: stultus in summa fortuna humilis.*
Quibus ita perspectis, inanem meritò proclamamus doctri-
nam Machiavelli, qui posthabità virtute, vel audacia & te-
meritate fortunam cogi posse, scribere non erubescit. Hæc
enim de Princip. Cap. XXV. in fine ejus sunt verba: *Satius
esse judico, ferocem esse, quàm circumspèctum.* *Fortuna namq;
fæmina est; & quis eam sibi subjiciat, necesse est, ut fuste eam
subagiter, atq; urgeat.* Et nemo non videt, eam libentius ab
iis, qui ardentiores, quàm ab illis, qui in agendo frigidi sunt,
pari se vinci. Proinde, quia fæmina, ea juvenibus semper fa-
vet, qui minus circumspècte agunt, magis sunt feroces & in
ipsam etiam fortunam cum magna audacia imperium exercent.
Quam sententiam de fortuna Machiavelli ceu impiam &
ineptam rejicit nobiscum magnus Conringius in Animat.
Polit. in Nic. Machiav. & quidem Cap. XXV. super hæc
verba: *Perinepte, scribit, & impiè Machiavellus docet, ratio-
nem temperandi nonnihil impetum divina illius causæ, quam ipse*

B

falsò

falsò nomine fortunam appellat. Nihil sanè experientia magis adversatur, quam pertinaces ac temerarios actus esse omnium maximè fortunatos. Ex adverso sanè, illa, qua circumspèctè cautè & prudenter geruntur, feliciore plerumq; successu excipi, docet rerum usus. Nonnunquàm tamen temeritatem esse feliciorem circumspèctà cautione, fatemur: sed fieri hoc rariùs solet: Est sanè ineptissimum dictu. Fortunam esse feminam, ac proinde fuste aut juvenili libidine quasi urgendam.

§. X. Deniq; OCCASIONEM ceu causam aliquam ad fortunam hominis concurrere, comprobari potest (1) à summa DEI sapientia & ordine accurato. Hic enim, qui pro ineffabili sua sapientia in naturalibus ordinem constituit accuratissimum, extrà omne dubium illum quoq; cupit in moralibus, qui autem omninò tollitur, occasio in accipiendis prosperitatibus si tollitur. Quippe eò confusum oritur chaos inter hominum statùs, ut quilibet rapere pertentet id, quod à fatò divino debità devotione expectare & justo tempore accipere teneretur. Indè (2) experientia docere potest, absentiam occasionis rem reddere aut difficilem aut planè impossibilem. Quot enim sunt, qui, cum sentiant ingenii sui dotes existere, vi aliquà emergere student, sed occasione destituti, non possunt? Quot sunt, qui judicio excellent, sed penurià rerum retrahuntur, & hinc illud Poëtæ confirmant:

*Non facillè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi --- ---*

Sunt ejusmodi similes iis, qui per maria navigare volunt, mare autem sarent, qui altum locum aut eminentem tur-
sim

II

rim concedere cupiunt, sed scalas eò tendentes non inveniunt. Contrà, affùlgente occasione, quàm facillimè obtinentur: honor, divitiæ, autoritas &c. Sic ingenio pollens *Mazarinus*, quod *Rischelii* secretarius erat, facilè hâc occasione Regi Gallia notus fieri poterat, ut ad tantas prosperitates eveheretur, Ita de ipso L' Espion dans les cours des Princes Chrétiens Tom. V. Lettre I. *Le Cardinal de Richelieu ne se seriroit que de Mazarin. De la vint qu' il en fit son confident, qu' il l' instruit de tous ses secrets de la cour de France, & qu' a sa mort il le recommanda au Roy comme le plus capable de luy succeder.* Ille *Schumacherus*, postea Comes à *Greiffenfeld*, quia illi obtigerat coram Rege Dania Christiano V. disertâ lingvâ ad extraneos legatos uti, hâc occasione inopinatâ ejus virtus sine magna difficultate altius extollebatur, ac unquam sperasset. *Henrich Anshelm von Ziegler und Kliphausen in dem Historischen Labyrinth der Zeit. Cap. CCCXXVI. p. 626. Adrianus*, Papa vix evasisset, nisi ad tantum honoris culmen ipsum elevasset occasio. Quippe *Caroli V.* præceptor qui fuerat, hujus opera ad tantam dignitatem extollebatur.

§. XI. Atq; tali modò probavimus ad fortunam concurrere tres causas: DEum, Virtutem, Occasionem. Notamus hic (r) posteriores causas, virtutem & occasionem à prima causa, DEO, penitus dependere, quia utriusq; DEUS autor est. A Deo enim cum tota sit hominis essentia, ut in *Disput I. de Limit. Philosoph. evictum* dedimus; ab eodem etiam virtutes, potiores qualitates essentia hujus sint, necessum est. Similiter, cum tempus omne & temporis mutatio à DEO dependeat, consequitur & ab eodem occasionem emergendi esse. Hinc potuissimus dicere, solum Deum

B 2

esse

esse autorem fortunæ hominis per virtutem & occasionem, majoris tamen distinctionis gratiâ lubuit ponere, tres causas concurrere ad fortunam hominis: Deum, Virtutem, occasionem. (2.) Unica si abest causa ex hisce tribus, fortuna minus rectè arripitur. Prima enim causa si abest, h. e. à DEO nisi quis ad aliquam prosperitatem destinatus est, ad eam arripiendam, summa capacitas, optima occasio, eunctaq; conamina nullius sunt momenti. Sed & primam causam annihilare valet quispiam, si quidem Deo sic disponente, in ordine est, quo honores summos obtinere potest, sed neglectâ virtute & occasione DEI benignâ voluntate indignum se reddit. Exempli locò quàm luculentissimè adduci potest filius Jacobi, *Ruben*. Hic ut poteretur præ fratribus felicitate, ad eam prima causâ egregiè concurrebat, quippe Deo volente & disponente primus omnium erat fratrum, quo jus egregium primogenituræ ipsi compete-
bat. Sed quandoquidem vitio incestus felicitate & ipsius primâ causâ indignum se reddebat, hinc appositè Jacob Pater, morti proximus: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium roboris mei, prior in donis, major in imperio. Effusus es, sicut aqua, non crevasc, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stractum ejus.* Gen. XLIX. v. 3. Quoad occasionem occurrit appositum exemplum ex Historia Moscovitica. *Fedor s. Theodorus*, Czar sive Imperator Russicus, morti proximus cum esset, rogabatur à circumstantibus principibus & primatibus regni, quem successorem denominare vellet? Quibus respondebat, eum, cui tradidero sceptrum virgamq; imperatoriam. Adhæc tradit insignia amico Fedro Mikitivitz Romanow, hic ea recusans, offert Alexandro fratri, hic tertio Ivan, qui rursus Michaeli, qui similiter alii Principi. Hæc animadvertens Imperator, vir-
gam

gam imperatoriam irā motus in terram concijit, di-
cens: attollat eam, quisquis voluerit. Sustulit verò
illam Borislaus Gudenow, qui postea etiam obtinuit im-
perium. Petrus Petrejus de Erlesunda in der Moscovi-
tischen Cronica Part. Iida p. 263. Ecce ad tantum hono-
rem obtinendum & capessendum à dictis principibus
concurrerebat prima causa Deus, quos in hunc ordinem
collocaverat, concurrebat & secunda causa, virtus. Re-
fulgebant enim rerum usu & insigni prudentiā. Sed
quoniam occasionem sponte renuebant, quā dignitatem
Imperatoriam obtinere poterant, quilibet ex iis & pri-
mam & secundam causam tollebat.

§. XII. Adhibitis sic rationibus, tres causas ad fortu-
nam obtinendam concurrere, iis illicò adjicimus gene-
ralem consequentiam: *Quisquis ergò vera fortune parti-
ceps sibi cupit, ad tres hasce causas maximoperè se adstringat,
necessum est.* Ex qua generali consequentia jam specia-
liora consequentia sequi possunt: *Ratione primæ causæ, antè
omnia PER DEUM fortunatus evadere quilibet studeat.* Deus
enim honorum omnium causā cum sit, quomodò for-
tuna prospera esse potest, Deum autorem si non habet?
Hanc in rem probæ conscientiæ quilibet studiosus esse
debet, nec inhiare aut honori, aut divitiis, aut alii parti
prosperitatis, eò modò, quò illa lædi possit. Pudeat
itaq; proditores nefandos, qui proditione vel ab hoste
aliquam pecuniæ vim reportare, vel eadem apud eos-
dem ad honores extantiores extolli pertentant. Quanta
hæc absurditas, contra DEUM agere, & eò ipso tamen
veram consequi velle prosperitatem? Pudeat eos, qui
coccò impetu ad extranea loca ad belligerandum trans-

volant, non animadvertentes, utrum in justo bello operam navent, aut hoc faciant in bello injusto, aut quibus impium non videtur, vel contra patriam pugnare, modo exinde lucelli affulgeat spes, aut tali modo ad honores eveni posse, sibi pervadeant. Pudeat & eos, quotquot per fas & nefas aliorum bona ad se rapiunt, utq; ditissimi evadant, in diem novas artes excogitant. Quæ via ad prosperitatem, quia à primâ causâ, Deo munitæ non sunt, devix sunt ad præposteram fortunam.

§. XIII. Ratione secundæ causæ hoc fuit consecrarium: *Qui fortunati esse cupiunt, post Deum VIRTUTIS habeant rationem, ut illi non aliter insistant, nisi cause secundæ, h. e. ad ea sese quilibet applicet, omni industria, quibus olim fortunatum statum obtinere spes est.* Si Theologus futurus est, in lectione S. Scripturæ & doctissimorum Theologorum sit occupatissimus, & simul notitiam Lingvarum orientalium & Historiæ Ecclesiasticæ sibi comparet. Si Politicus evadere cupit, varios rerum status animadvertat, quid è re sit Republicæ, quid detrimentum illi inferre possit, in tempore discat. Si in militia progressus felices facere exoptat, à primis annis assilvelcat, *sequi signa, ordines servare, obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam,* quæ de militibus Macedon. effert Curt. Lib. III. Cap. II. Allostria & externa, quibus corpus disponi dicitur, nimia tenacitate pertractanda non sunt, ad ea potissimum respiciendum, quibus quilibet olim publico prodesse potest. Turpissimum verò est, si, spartam luculentam ubi jam nactus es, tum demum sollicitus esse velis de capacitate istâ debite fungendi. Quò publica salus admodum periclitari potest. Cæterum dan-

dantur variæ viæ ad fortunam, quæ cum virtute bonæ, sine virtute verò præposteræ ac spurix sunt. Si enim unice de nativitate gloriaris, cœcâ traheris fortunâ, de eò gloriaris splendore, qui tuus non est, sed aliorum. Pulchrè Apulejus de DEO Socratis: *Si laudas aliquem, quia generosus est, parentes ejus laudas.* Et Boethius: *Quam sit inane, quam facile nobilitatis nomen, quis non videt? Quæ si ad claritudinem refertur, aliena est; Quod si igitur præclarum videtur, aliorum virtute lucere, quanto clarius est, propriâ collustrari?* Egregie verò eos stringit, qui non nisi de gloriosa origine gloriantur, Francisc. Petrarcha de Remed. utriusq; Fortun. Dial. XVI. *G. Origo generosa est. R. Rursum mihi redis ad ineptias, quid ad te? G. Propago vetus & gloriosa est. R. Alieno gloriari, ridiculosa jactantia, avorum merita, nepotum degenerantium notæ sunt, nec aliud magis posterorum maculas aperit, quàm majorum splendor ac gloria. Sæpè alteri commodam virtus alterius tulit. Veram laudem, nisi de proprio sumpseris, ab alio non expectes. G. magna est nobilitas majorum meorum. R. Mallem per te alii, quàm tu per alios noscereris, &c.* Indè nec dubitamus asserere, longè gloriosius esse, ex pulvere ascendere ad splendorem, quàm ex splendore majorum labi in pulverem. Sic laudi scribitur Arnaldo Cardinali Ossato, Episcopo Bajocensi, quod per singularem virtutem de humili loco, fabri quippe filius erat, ad summos honores exfurrexerit. Ita quippe in Oratione, quæ in ejus funere Romæ habita, in Ecclesia sancti Ludovici, XV. Kal. April. M. DC. IV. hæc de eo habentur verba: *Quid hæc aliud est, nisi fabrum fuisse fortune suæ? quid aliud, nisi laudis suæ nullum habere participem? Ex qua neq; patris claritas, neq; gentis antiquitas,*

neq;

neq; parentum imitatio possit sibi quidpiam usurpare. Haud scio, an optabilius sit ita nasci, ut solus tibi lucere possis, quam ortum sortiri majorum nobilitate, hoc est, alienâ luce perillustrem. Tota oratio præmissâ in Tractatu, cui Tit. Lettres de Cardinal d' Ollât Evesque de Bayeux au Roy Henry le Grand & à Monsieur de Villeroy. Hæc ratione originis. Si verò divitias tuas effers, iisq; honores reportare pertentas, gloriam quæris in terra & per terram, & si per aurum obtines spartam, eam non tibi, sed auro debes, tu non amaris, sed vanus tui auri splendor oculis aliorum obfuscat, & quasi philtro aliorum animos ad tui inordinatum amorem pertrahis. Vis tui effigiem? asinus quidam aurò onustus à proditore in civitatem intromittebatur, sanè non propter ejus longas aures, neq; propter pigra, quæ trahebat membra; sed propter aurum quod in tergo gestabat. Vide, quid tibi contingat, si per nummos dignitatem reportas, & vel sine longis auribus huic nobili animalculo similis esse poteris. Deniq; si astutiâ ac artibus favorem hominum aucupare aut divitias comparare studes, quantum distas à vera virtute? in quantum remotus à vera fortuna? Astutia opponitur virtuti, ceu lux tenebræ opponuntur, & amicitia astutiâ comparata non est durabilis, sicuti per artes comparatæ divitiæ diffluunt, ut de iisdem tertius hæres non gaudeat.

§. XIV. Ratione tertiarum causarum deniq; hoc emergit consiliarium: *Occasio, si non affulget, patientiâ opus.* Ridiculi verò casus emergendi, non sunt fingendi, neq; tales, qui detrimento sunt publico aut proximo. Expectanda est occasio, non facienda aut celerior reddenda,
id

17

id quod sine scandulo & detrimento publico fieri non solet, nisi id tali modo fiat, ut quis in tempore virtute sua iis sese insinuare studeat, qui fortunæ ipsius fabri esse possunt. Sanè Deus, qui fortunam conferre decrevit hominibus, eam unicuique conferre suo tempore decrevit, quod non permittit quempiam anticipare. Rosæ, cerasæ & similia talia, quæ ante tempus, quò natura eorum perfectionem & maturitatem destinavit, per artem proferuntur, naturali gratiâ carere solent, nec diu durare possunt. Eodem modo fortuna, quæ ante tempus, quò Deus eam homini conferre decrevit, arripitur, destituitur suâ gratiâ, & durabilis non est. Notandum hic videtur *Borislans Gudenov*, quem Deus sine dubio ad magnam fortunam reservaverat. Erat quippe insigni virtute conspicuus, quod summâ prudentiâ & moderatione refulgebat. Occasionem verò ad summos honores in Moscovia, nempe ad dignitatem Imperatoriam anticipare studebat, non solum primùm eò, quod astutiâ mirâ nationis Russicæ amorem captaret, sed etiam Demetrium Czaris fratrem interfici curaret, quem tamen admodum lugebat affectatâ tristitiâ. Quò tempore contigit, ut ipse Czar Fœdor sive Theodorus, non sine suspitione veneni, ultimum diem obiret. Post quæ factum est, ut à tota natione ad capiendam summam dignitatem instantibus precibus à populo & Primatibus efflagitaretur. Petrus Petreus de Erlesunda in *der Moscovitischen Kronika* Part. II. p. 260. & seqq. item Olearius Lib. III. *der Persianischen Reise. Beschreibung* Cap. XI. Verendum sanè, ne Princeps hic aliàs laudatissimus primâ causâ se indignum reddiderit, quod fraudulenter circâ occasionem versatus sit. *At verò, occasio bona si affulget, ea omni studio est apprehendenda.* Strenui enim animi est, ea animosè appetere, quibus ob virtutem dignum eum publica censura æsti-

C

mat.



mat. *Non tantum presentis, sed vigilantis est, occasionem observare properantem. Itaq; hanc circumspice: hanc si videris, prende,* inquit Seneca Epist. XXII. Et Frustrat. Comment. in Moral. Arist. Lib. I. Cap. VI. Num. 7. p. m. 45. hæc habet: *Omnia, que fit, in tempore fieri, necessum est, tum unumquodq; id, occasione fieri, cum tempore, quo faciendum est id, attribuitur, ut bene habeat, bene autem habere est bonum, undè efficitur, ut occasio in tempore bonum sit. Minimè verò eò tempore dormiendum est.* Nota enim abjecti & negligentis animi esse videtur, sponte suam negligere fortunam. Et tali in casu semper dantur homines, qui, ubi animadvertunt, proximi fortunam appropinquare, eam clandestinis artibus impedire conantur. Inde ab iis contemptus, calumniæ, & perversa quævis molimina. Sed si talia percipis, alios nimirum te calumniari, malè te commendare, aut te spartâ indignum proclamare, desperandum non est, modò proba conscientia suffulcire possit. Perversissimus enim hic mos ab omni ævo obtinuit, ut tum imprimis calumniarum virus in proximum effundat invidia ac malevolentia, ubi sentit, ipsius promotionem, aut felix matrimonium, aut aliam fortunæ partem immānere. Tum recenset totam ejus vitam, eamq; pessimè depingit, quasi ei perspicacissima esset, & si vera vitiosa in ea non reperit, mendacia nævis proximi audacter admiscet. Sed ejusmodi iniqua molimina non semper sunt efficacia. Facillimum enim Deo est, ea, quæ decrevit, & contra perversa malevolorum molimina in effectum deducere. Sicuti & experientia usquequaqum stetit magistra, contingere, ut ii, qui obstacula virtutis poluère, postea, ubi eorum virtutem cognovère, eos eò majori benevolentia amplectantur. Sed ita tamen usurpanda occasio, ne *nimiâ tenacitate primam causam tollere velle videamur.* Sæpe enim videtur adesse occasio obtinendi fortunam, cujus contrarium tamen ex eventu patet. Et cum primis juvenibus, qui primâ aut secundâ vice de fortuna solliciti sunt, id dicendum. In hac mortalitate mos moriendi in desuetudinem non abibit, & ideoq; occasio ambiendi spartam, quæ præterit, recurret, idem tenendum & circa alias fortunæ partes, ut ergò, & effulgente occasione, virtuoso id semper agendum, ut fortunam cum moderatione amplecti studeat.

HÆc, quæ in priori Dissertatione apposita sunt, pertinent ad fortunam obtinendam, sequitur, jam consideremus in Posteriori hac, quomodo hæ tres causæ etiam ad fortunam CONSERVANDAM concurrant. Primam causam quod concernit, sicuti nulla fortunæ pars sine Deo obtineri potest; ita neq; dignitas, honor, divitiæ sine eo stabiliri possunt. Ideoq; , si quis fortunâ resplendet, Deum ante omnia precibus compellare tenetur, ut fortunatum ejus statum stabilire velit, & capacitatem officio ritè interveniendi concedere dignetur. Tali modò suam felicitatem mirum in modum confirmavit Salomon, mortalium facilè felicissimus. Divinâ gratiâ enim ad thronum Regium elatus, hæc ad Deum, pro stabilienda fortuna, effatus: *Deus mi, tu constituisti me servum tuum loco Davidis Patris mei, quamvis ego puer parvus nesciam procedere & redire. Des igitur servo tuo animum intelligentem ad judicandum populum tuum, discernendo inter bonum & malum -- Dixit Deus illi, eo quod petiisti rem istam, & non petiisti dies multos, neq; petiisti tibi divitias, neq; petiisti vitam inimicorum tuorum; sed petiisti tibi discretionem ad intelligendum judicium. Ecce facio secundum sermonem tuum.* 1. Reg. III. v. 7. & seqq. Nemo autem putet, satis esse, stabilire suam fortunam favore Principum ac Magnatum, aut divitiarum vi. Quid ille Georgius Petri sive Peer son, FRICO XIV. Regi Sveciæ dilectissimus? Traditus sequenti Regi Johanni, hæc ad populum ante supplicium illatum locutus est: *Se prius cælum, quàm Regem Ericum ruiturum, seq; ab illo ita desertum iri, sibi persuadisse, moruitq; circumstantes, à se exemplum capere, magisq; DEO, quàm Regum & Principum favore niti, nec more ejus facere, qui multos insontes in Regis gratiam lesisset.* Quæ verba desumpta sunt ex Johannis Locce-

nii Historiæ Svecanæ Lib. VII. pag 378. Idem factus ante obitum infelicem Wolfæus, Regni summus Cancellarius in Anglia: *Si, inquit, tantâ fidelitate invigilassẽm Deo, quantâ invigilavi Regi meo, ille in mea senectute me non dereliquisset.* cit. à Ziegler in dem Historischen Labyrinth der Zeit Cap. DXCVIII. p. 1140. Sed de ejus fortunæ interitu plura in sequentibus. Similiter fulcrum fortunæ vacillans est auri potentia, cui nequaquam nimium fidendum:

Nempe dat & quodcumq; libet fortuna rapitq;

Irus & est subitò, quo modo Cræsus erat.

Quibus observatis, fortunato vita honesta & pia est gerenda, ne vitii Deum ad everisionem suæ fortunæ provocet.

§. XVI. Hæc ratione primæ causæ. Ratione causæ secundæ, VIRTUTIS nempe, regulæ admodum multæ & vel aureæ hic suppeditari possunt ad tuendam fortunam suam, quæ omnes fortunato omni curâ observandæ sunt. Longè facilius enim est fortunam capere, quàm captam reservare. Illud inopinatò vel sine sudore obtingere potest, hoc opus, hic labor est. Quot enim sunt, qui favore occasionis subito ad summum felicitatis gradum elati sunt? Sed quot sunt etiam, qui suâ inertia ad extremam calamitatem se rursus dejecerunt? *Videsne, ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio, an Darius idè tam multa amisserit, quia nimia opes magna jactura locum faciant. Facilius est quadam vincere, quàm tueri: quàm hercule expediriis manus nostræ rapiunt, quàm continent.* Ita Legatus Darii ad Alex. M. apud Curt. Lib. IV. Cap. XI. Regulæ verò pro confirmanda fortuna sequentes esse possunt. I. *Fortunatus antè omnia sedulo & justè officio suo invigilet.* Tum enim nec negligentia nec injustitia poterit accusari, quæ duo multis fortunatis ruinam peperere. Et si fortè tum innocens accusetur, solabitur conscientia pro-

ba,

21
ba, juxtà illud: *Conscia mens recti, ridet mendacia fame.* Et
frivola accusatio, sine ulla vi erit evertendi fortunam. Quan-
ta laus Samueli, in fine vitæ sic posse ad populum dicere:
Ecce pressò sum; Loquimini de me coram Domino & coram Unctò
ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum. Si quem-
piam calumniatus sum, si quem fraude circumventum re suâ
privavi, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus ac-
cepi &c. I. Sam. XII. 3. Atq; sic rectè faciendò fortunatus
suam stabilit fortunam & simul hostes suos eò quàm glo-
riosissimè ulciscitur. Hæc quoad publica, quibus verò
fortunatus non inhietur, ut simul rerum propriarum me-
mor sit, suasq; facultates susq; deq; non habeat, profusè
cum iisdem agendò. Qualis negligentia viam ad paupe-
riem munit.

§. XVII. Commendamus II. *Fortunato maximopere* COMI-
TATEM. Hæc animos hominum suavissimâ quâdam servi-
tute sibi mancipat, eosq; clanculum amicitia vinculo sibi
devincit. Rectè Erasmus Roterodam. in Colloqv. statim ab
initio: *Comis & blanda saluatio, sæpè conciliat amicitiam, diluit*
inimicitiam, certè mutuam benevolentiam alit augetq;. Gvazzus,
insignis ille & pulcherrimus morum doctòr hæc de hac vir-
tute disserit: *Id quod & Philippi & aliorum Magnatum scriptis*
congruit. Quibus perspicuè demonstratur, benignam illam &
gratam affabilitatem esse magnetem quendam, quò multitudinis
animi attrahantur. Etsi autem virtus illa cunctis hominibus pul-
chre convenit: nitidissimè tamen in iis splendet, qui aut poten-
tia aut dignitate nobis superiores sunt: quando responsum ab his
accipis liberale, placidum & gratiosum; & tale, ut non minus
ex verborum sono, quàm vivacitate oculorum, & frontis sereni-
tate, de intimis ipsorum affectibus judices, & ad hos voluntatem
tuam atq; affectionem illicò flectas. Quæ verba dictus autor
habet

habet de Civil. Convers. Dissert. III. p. 205. Contrâ austerus animus aliorum animos à se abalienat, amorem extingvit, ac inimicos ergà se excitat, ruinam meditantes, fortunæq; everfionem. Rursus perpulchrè cit. Gvazzus cit. loco p. 203. *Nulla aliâ re largius ab humana natura recedimus, quàm rigore & asperitate. Manifestò enim videmus, novos istos Cato- nes, cum erectis illis collis & hircinis oculis, omnium abominatio- ni esse expositos: ex quibus aliquem, si quispiam vir bonus con- spicit, non aliter se ab illo subducit, ac si bajulum quendam, spi- narum fascès ferentem, præterire videat. Ac dum illi magis se suspici arbitrantur, si nunquam rideant, si frontem corrugent, oculos contrahant, ipsò obtutu arma spirent, contemptim & pau- cis respondeant: efficiunt tandem, ut & superbi repententur, & inhumani; & hac superbiâ suâ ipsis etiam superbis odio sunt.* Non sufficit autem, si comitas consistat in externo blando gestu, sed adjunctam habeat veram voluntatem re ipsâ aliis assistendi, necessum est. Meminerit enim fortunatus, con- stantem fortunam si habere cupit, illâ non sibi solum sed aliis quoq; vivere debere. Accenditur lux, ut radios aliis impertiat; lucet fortunatus fortunæ radiis, iisdem quoq; aliis ut luceat.

§. XVIII. Porro III. summoperè fortunato MODERATIO IN USU FORTUNÆ *commendanda.* Fortunato non semper id faciendum, quod facere potest & quod facere ipsi licet, sed eum quod facere decet. Sin minus (1) abutitur fortunâ, abusus rei autem rem ipsam destruere potest, sicuti usus rem adstruit. (2) Si fortunatus moderatione uti nescit, invi- diam excitat, quæ perversa quæq; molitur (3) sciendum est fortunato, omnes prosperitates suos habere terminos, veluti eos omnia habent, quos qui transilire cupit, experiri facile potest, se fato vim intulisse. *Observarunt hoc felices vir- tuosi*

23

tuosi omni tempore. *Hinc multa patrum in Liviam cum esset adulatio, alii parentem alii matrem patria appellandam censentes -- Tiberius moderandos faminarum honores dicitabat, eademq; se temperantiâ usurum in his, quæ sibi tribuerentur.* Verba sunt Taciti Ann. I. Cap. XIV. 1. Idem hic Tacitus de eodem Tiberio Annal. Lib. V. Cap. II. N. 1. *At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amœnitate vite, magnitudinem negotiorum per literas excusavit: honoresq; memoria ejus à senatu largè decretos, quasi per modestiam imminuit.* De Corbulo etiam legitur, quod secundis rebus suis moderandum fortune ratus. Adhuc Tacitus Annal. Lib. XV. Cap. V. 1. Hinc admodum præclarè hanc in rem Baltasar Gracian in cit. Tract. L' Homme de Cour maxime XXXVIII. *Quand on a fait de grands exploits, il en faut mettre la gloire à couvert, en se retirant du jeu. Une prospérité continue à toujours être suspecte. Celle, qui est entremêlée, est plus sûre. Un peu d'aigre doux la fait trouver meilleure. Plus les prosperités s'entassent les unes sur les autres, & plus elles sont glissantes, & sujettes au revers. La brièveté de la jouissance est quelque fois recompensée par la qualité du plaisir. La fortune se lasse de porter toujours un même homme sur son dos.*

§ XIX. Moderationi in fortuna adjungi potest IV, fortunato eò respiciendum esse, NE ANIMO EFFERATUR. Superbia enim quemlibet diminuere valet, animos reddit contrà se exacerbatos, & vel amicos à se abalienat, certè statum felicissimum commutat. Extat hanc in rem insignis exemplorum cumulus, qui multis voluminibus comprehendi nequit: multorum locò hic juvat fortunam *Wolsei* in compendium adducere, quæ solis ad instar in altum confcendit, superbiâ verò perpetuam ecclipsin passâ. Erat lanionis filius, sed studiis eò evectus, ut primùm Diaconum

aulicum ageret, postea spatio trium annorum Episcopus
 Touronensis, Lincolnensis & Archiepiscopus Eboracensis
 evaderet, imò posthæc Cardinalis & Angliæ Cancellarius.
 Atq; hisce tantoperè emicabat, ut Carolus V. in literis ad
 eum scribere non dubitaret: *Votre fils & cousin*. Satis pro-
 fectò pro filio Ianionis. Sed superbus animus hisce non con-
 tentus vel graviora quæq; spirabat: Dignitatem Papalem
 cum impetu affectabat, 400. Ministris ex iisdemq; multis
 Comitibus ac Baronibus stipatus esse non erubescibat, imò
 vel hæc in literis ad extranos præponere audebat: *Ego &
 Rex meus*. Sed uti superbia aliàs finem imponere solet pro-
 speritatibus; ita & imposuit tanto splendori huus Wolfæi.
 Exuebatur omnibus honoribus, ac denique mœrore & de-
 speratione confectus, ultimum diem infelicissimè obiit.
 Ex probatissimis autoribus Heinrich Anshelmus von Ziegler
 in dem täglichen Schau-Platz der Zeit / pag. 14. & in dem Histo-
 rischen Labyrinth der Zeit Cap. DXCVIII. p. 1140. & seqq. Nec
 sufficit abstinere à *crassa* superbia, sed vñ a *subtili* superbia,
 quæ se prodit irrisione aliorum, fortunatus summoperè ca-
 veat. Rationem percipere juvat ex Gvazzo de Civil Con-
 versal. Dissert. III. p. 215. *Neg. igitur vultu, neg. lingua, nec
 aliò quòdam signò debemus ostendere, aliquem à nobis irrideri. Si
 enim nobis superior ille fuerit, aut æqualis; non patietur, se à
 nobis vilipendi; si inferior; secessionem ab amore nostro faciet:
 quod malum est: cum omne studium nostrum in hoc debeat esse
 repositum: ut, quantum fieri possit, omnes nobis faventes & be-
 nevotos reddamus. Deniq; quemadmodum fortunatus elati
 animi nequaquam esse debet; ita summopere ipsum de-
 decet, esse ABJECTI ANIMI. Affulgente fortunâ non agen-
 dum est *tumidè*, sed nec *timidè*. Præposterà enim & in-
 tempestivâ timiditate æstimatio fortunati perit, ut alii sen-
 tiant*

25
tiant, ipsum indignum esse fortunâ & ineptum eâdem uti,
eamq; in ejus ulnas cœcò impetu lapsam. Ita Fædor, Johan-
nis Basilidis filius, ad Russicum Imperium cum elatus esset,
delectabatur admodum campanis pulsandis, quod abjectum
delectationis genus ante & post congregationes sacras exer-
cebat, quare ipsi objiciebatur, aptiorem esse ad officium
æditui, quàm ad capeßendum tantum imperium. Salom.
Henning. Chron. Livon. & ex eo Olearius Itin. L. III. c. XI.
Æstimatio verò fortunati ubi periit, nulla ille efficacîa offi-
cio suo invigilare potest. Non enim alios deligere, vene-
rari, ac debite colere possumus, nisi eosdem summâ æsti-
matione dignos arbitremur. Hæc pondus addit omnibus
fortunati actionibus, hæc quoq; ab aliis illæ debite respici-
antur, facit. Sine illa verò fortunatus quidpiam si mandat,
illi obedientia aut planè non, aut obiter tantum præstatur.
Scitur enim, illum non audere debitâ gravitate omisâ ul-
cisci, abjectum animum autem ejus pati posse, leviter tracta-
ri. De hujus contrario verò, de sui nempe moderatâ fidu-
ciâ, perpulchrè Valer. Max. Lib. III. Cap. VIII. de fiducia
sui, Extraneorum Num. I. differit hunc in modum: *Laudan-
da profectò fiducia est; que æstimationem sui certò pondere exa-
minat, tantum sibi arrogans, quantum à contemptu & insolentia
distare satis est. Et Num. 2. Quia perfectâ ars, fortuna le-
nocius defecta, fiducia justâ non exiit: quamq; scit se laudem
mereri, eam etsi ab aliis non impetrat, domesticam tamen ac-
ceptam judiciarefert.* Quàm luculentissimè verò Morhoff. in
Polyhist. Liter. Lib. I. Cap. XV. de conversatione erud.
p. 160. *Quemadmodum superbia & fastus nos ab aliis scjungit,
ut consortium nostrum fugiant, ita cum nimis abjectè de nobis
sentimus, per nostram negligentiam aliis quoq; negligimur. Qua-
re non adeò improbanda est decora ostentatio, sed que ab omni
jactan-*

jaētantia, ab ineptiis remota & plena modestiā sit. Quod si famam expertus faventem fueris, eamq; fueris promeritus, non tuo tantum, sed & virorum honorum judicio, secundum Horatii sententiam, quaestram mentis sume superbiam. Est enim quam honesta philantia, quae in sui fiducia consistit.

§ XX, Progredimur ad Regulam V. *Fortunato leve quidpiam ne videatur, OFFENDERE MINORES.* Habet enim & musca bilem, & vel parvi crabrones nocere possunt, juxta illud proverbium: *Noli irritare crabrones.* Ejusmodi offensiones & tumultus publicos excitare possunt & vindictas clandestinas: Saepe magnum offensorem parvi offensi de felicitatis throno deturbant. Sicuti haec multa exempla ex Republica sacra & prophana confirmare possunt. Ita, cum Rehabeam felicitati Salomonis Patris succedere deberet, populus ad eum accedebat, dicens: *Pater tuus dierum imposuit jugum nobis: tu ergo nunc leva nos servitute Patris tui durā & jugo ejus gravi, quod imposuit nobis, & serviemus tibi.* Svadebant consilarii seniores, ut exaudiret preces eorum Rex. Sed contra juniores, quibuscum fuerat educatus. A quibus seducto leve erat durā hac loquelā offendere populum: *Pater meus grave reddidit jugum vestrum, ego autem superaddam jugo vestro: Pater meus castigavit vos scuticis, ego autem castigabo vos flagellis aculeatis.* Quā vero laesione factum, ut Israelitae à Domo Davidis perpetuo deficerent. I. Reg. XII. *Sophia Imperatrix, Magni Imperatoris Justini II. junioris con-
jux, contemptui habebat Narsetem, Eunuchum, sed Generalem bellicosissimum. Hicse quippe verbis eum admodum offenderat: Revocandum ex Italia Eunuchum, ut pensa traheret cum ancillis in gynaeceo.* Cui verò respondit Narfes: *Se talem telam illi orsurum, quam, ipsa dum viveret, detexere non possit.* Dixit, fecit. Ex Germania enim Longobardos evocavit,

cavit, qui partem pulcherrimam Italiae occuparent, quò sanè magnà felicitatis parte ob hanc offensionem privabantur Justinus & Sophia. Ex probatissimis autoribus Johannes Cluver. in Histor. totius mundi Epit. p. 403. In Moscovia Chiliarchis leve quidpiam videbatur, gregariis militibus denen Strelitsen deminuere stipendium. Quæ levis offensio horrendos habebat effectus. Quippe congregatim ad Imperatorem accedebant, postulantes, ut sibi injusti chiliarchæ extraderentur, extraditos ignominiosè tractabant, fustibus quippe cædebant, & plurimi functione & sic magnà fortunæ suæ parte exuebantur. Nec hóc contenti furiosi milites, sed & contra Primates Imperii furebant, quippe conquerebantur, electionem Czaris legitimò modò factam non esse. Quà occasione plurimi Magnatum eorum crudelitate miserrimè perière. vid. Happel, Curios. Relat. Tom. III. p. 286. & seq.

§. XXI. Longè magis verò VI. *caveat fortunatus contra* EMINENTIORES VIM EXERCERE, etiam si facere hoc possit. Hoc enim qui non observat, contra naturæ agit institutum. Hæc discrimen fecit inter statûs humanos, alios dignitate majores, alios minores constituens. Ergò, ubi fortè ex hisce cuidam major copia auri affluxit, aut major est favor apud Magnates, aut potentia publica; tum, si propter hæc eminentioribus vim inferre audet, confusionem enormem causatur, quæ tandem damnum suò tempore infert tantæ audaciæ. Ad tempus enim utut ejusmodi procedere videantur, minimè tamen perpetuò procedunt. Et utut ipsi læsi vindictam exercere nequeant, dolet tamen offensio à minoribus iis, qui cum læsis ejusdem sunt conditionis, ut clanculum vindictam meditentur, quæ suo tempore in actum erumpit. Ita Cardinalis ille sagacissimus

Mazarinus ingentem errorem contrà rationem statùs commisit, dum apud Reginam Galliaë procuravit, ut tres Principes: *de Condè, Comy & Longoeville* in custodiam detruderentur. Fô enim fortunam suam non stabilivit, sed magis vacillantem reddidit. Quippe ex Gallia fugere ipsum oportebat, post quæ à Parlamento proditor publicè proclamabatur. Indè etiam urbs *Burdegalensis Duxq; Aurelianensis* contrà *Mazarinum* maximoperè effervescebant. Ex aliis autoribus *Ferdinand. Neoburg. in seinem Geographischen Hoffmeister* Cap. III. von Frankreich p. 312. Quanta prosperitas duorum fratrum *Johannis & Cornelii de Witt?* Subitò sanè ad summos honores extollebantur. Ferè totum *Belgium* soli dirigebant, ac cæterum eminentissimâ refulgebant autoritate. Sed factiones contrà domum *Arausionensem* extemplò & eorum prosperitatem & simul eorum vitam delebant. Quippe à rabiosa plebe in tumultu miserrimè interficiebantur, ac denudati suspensiq; *Hagæ Comitiorum* in particulas minutas discabantur. Prolixè de iis *Happelius* in *Curios. Relat. Tom. III. p. 353. & seqv.* Nec solum offenduntur eminentiores à minoribus, quando hi iisdem vel apertè vel per artes vim inferunt, sed & tum, quando minores eminentiorum fortunam vilipendunt, quod peræq; non niteat ac sua fortuna, aut etiam, quando ad infligendum iis dolorem, coram iis, vel pretiosissimis vestibus, vel splendidissimis curribus aut adificiorum magnificentia suæ fortunæ splendorem suprâ sortem ostentant. Qualia ab eminentioribus ad notam sumuntur, ut justâ occasione procaces fortunæ filios de felicitatis throno dejicere valeant.

§. XXII. Sit Regula VII, *Fortunatus COECO IMPETU NIHIL AGAT.* Semper meditetur quâ ratione hoc vel

vel illud fieri debeat, an sic benè sit, aut an aliter melius, aut, si nunc bene procedere, olim verò damnum inferre possit. Indeque observet statum præsentem, statum præteritum & qui futurus esse possit. Tali meditatione debitâ nosse poterit, quid è re sit facere, & quid è re sit omittere. Omnes actiones ad præsentem statum applicare, est omnes calceos ad eundem pedem adaptare velle. Et quæ olim benè cessere, etiam nunc sinè examine rata habere, est iisdem vestibus uti velle in virili ætate, quæ in puerili ætate aptæ erant. Id sanè non procedit. Audiamus hanc in rem differentem Didacum Sævedram, symbolum XXVIII. p. 204. hunc in modum explicantem: *Prudentiæ virtus multis constat partibus, quæ ad tria capita reduci possunt; memoria scilicet præteriti, intelligentiâ præsentis & providentiâ futuri. Omnes istas temporis differentias in emblemate præsentis serpens representat, Prudentiæ symbolum, supra clepsidram arenariam, quæ præsentis currentisq; temporis est hieroglyphicum; sceptrum spiris suis ambiens, & contemplanz sese in duplici speculo præteriti temporis & futuri; pro lemmate verò ponitur illud Homeri carmen à Virgilio traductum, quod omnia tria completitur tempora:*

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
In quæ intuenz Providentiâ suus moderatur actiones. Tria ista tempora speculum sunt gubernationis in quo maculas & errores præteritos pariter ac præsentis observando, sese ornat ac expolit, adjuncta experienciâ propriâ & ipsò rerum usu comparata. Hisce adjicimus, nec cecè animò respicienda ea esse, quæ parva videntur. Quippe eò ipsò, dum pro parvis habentur, vel maximum damnum felicitati inferre possunt. Occurrit ali- quod exemplum ex Historia Belgica. Dux de Alba, cum immanem in modum contra Reformatos in Belgio insaniret, inopinatò increbescerebat Anno 1572. latissimum nuntium

tium pro Belgis, portum Briel recuperatum esse. Sed Dux cœcis hæc respiciebat oculis, inq; hoc detrimento nihil cernebat adversi, exclamans: *Nada, Nada, Nihil, Nihil.* Sed Nihil hoc Maximum præstabat, maximaq; nocumenta inferebat felicitati Hispanicæ. Quippe eò multæ urbes Hispanis eripiebantur. Inde versus:

Crevit in immensum, quod fuit ante NIHIL.

Quare si fortunato adversi quidpiam contingit, et si parvi momenti illud esse videatur, vilipendendum tamen non est, cujuscunq; fuerit generis. Semper meditandum, an ex illo quidpiam exsurgere possit. Nonne parva scintilla in ingens incendium erumpere potest, nisi in tempore suppressatur? Nonne leve vulnus, si spernatur, nec curatur, vel mortem inferre valet? Et quid adeò parvum felicitati nostræ videri potest, quod in detrimentum immensum exsurgere non possit, nisi debitâ prudentiâ in tempore removeatur. Imò deniq; et si nihil acciderit fortunato, omni tempore tamen à SECURITATE ipsi cavendum. Meditandum perpetuò, an adversi quidpiam imminere possit, cum primis eo tempore, quò fortuna quàm maximè refulget. Nicol. Machiavellus, et si judicio Conringii, ejus consilia sequi, maxima ex parte nefas sit, hanc in rem tamen sat bene differit: *Nostræ ætatis Principes Itali, qui diu suos Principatus tenuerant, non est, quod fortunam incusent, si illos amiserint, verum suam sœcundiam: quia tranquillis temporibus de possibili mutatione nunquam cogitarunt (quod commune est omnium hominum vitium, qui tempestatem, dum tranquillitas adest, parvi ducunt)* &c. de Principe Cap. XXIV.

§. XXIII, Caveat VIII. *Fortunatus, REBUS ALIENIS SESE IMMISCERE.* Habet enim sua, quæ curet fortunatus, & si suo officio invigilare, si suam fortunam stabilire velit, in hisce
 fat

fat ipsi est negotii. Si verò alienis rebus suas dare cupiat cogitationes, eò facillè sua negligere potest. *Pluribus intentis minor est ad singula sensus.* Hinc ingens tædium ex rebus peregrinis, sæpè universæ felicitatis ruina. Hoc exemplò confirmari potest, olim in patriâ nostra quod contigit. *M. Johannes Funccius*, Concionator Aulicus Regiomontanus, felicitate pro sua forte sat luculentâ fruebatur. At cum rebus Politicis sese immisceret, hoc ipsi adeò infeliciter succedebat, ut ei Anno 1566. d. 28. Octobr. in foro Cniphofiano caput amputaretur. Quare pœnitentiâ serâ ductus, ante obitum fatus hæc est:

Disce meò exemplò mandatò munere fungi:

Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Colbius in Episcopo-Presbyterologiâ. Huc quoq; pertinet, *ut abstineat fortunatus à LIBRO JUDICIO DE ALIIS in conversationibus.* Felicitas humana ut plurimū est incitamentū ad liberè judicandum, & simul eò incitamentū ad pernitiem. Ubiq; enim dantur proditores, qui incogitanter effata referunt. Tūm, si rem acu non tetigisti judicandò ac ignominosè dixisti, certa est vindicta publica; si verò rem acu tetigisti, & res ad eum devenit, de quo judicasti, illum habes hostem clandestinum, si publicè vindictam exercere non audeat. Et quid opus est judiciò sese præcipitare, eò si fortunatus non indigeat, & in quo nulla vera jucunditas consistit? Melius est, prosperitate uti modò honestiori ac tutiori. Probæ menti summa voluptas est, de proximo benè sentire, ejus nævos excusare, posse de eo meliora sperare: contrà temerarius animus insignem voluptatem capit ex præpostera censura hominum, illiq; nihil dulcius, quàm de proximo absurda proferre posse, fuerint vera, fuerint ficta.

§. XXIV. *Sudeat IX. fortunatus FRUCTUM CAPERE*

AB INIMICIS. Si animadvertit, eos ipsius actionibus invigilare, ipsum hoc moveat, *cautè semper agere*. Quæ mala facta videt ab inimicis, ab iis ipse caveat, ac veluti in speculo maculæ faciei conspiciuntur, ita, quæ videt vitia in inimicis, ea suo animo deformia esse, erudiatur. Sanè quàm pulcherrimè nobiscum sentit sapius jam citatus Baltasar Gracian in L' Homme de Cour Maxime. LXXXIV. *Le sage tire plus de profit de ses ennemis, que le Fou n' en tire de ses amis. Les Envieux servent d' égvillon au sage à surmonter mille difficultez: au lieu que le Flateurs en detournent souvent. Plusieurs sont redevables de leur fortune à leurs Envieux. La flatterie est plus cruelle que la haine, & autant qu' elle pallie des défauts, ou celle ci fait remedier. Le sage se fait de la haine de ses Envieux un miroir, ou il se voit bien mieux, que dans celui de la bien-veillance. Ce miroir lui sert à corriger se défaut, & par conséquent à prevenir la medisance. Car on se tien fort sur ses gardes, quand on à des rivaux, ou des ennemis, pour voisins.*

§.XXV. Quodsi verò inimici astutiâ utantur versus felicitatem fortunati; Non inhonestum judicamus X. ASTUTIAM ASTUTIA CIRCUMVENIRE. Utut enim astutia in se spectata, à virtute longè recedat, si tamen eadem vitium iniquitatis comprimitur, virtutis speciem nanciscitur. Hinc Machiavellus de Principe Cap. XVIII. paulò post initium: *Cum sint duo genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim: cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum ad posterius, si non satis est, si utaris primò. Proinde necessarium est, ut Princeps rectum utriusq; & bellue & hominis, usum teneat. Cum itaq; magni referat Principem, belluinum ingenium scitè induere, ei tùm vulpis tùm leonis mores assumendi erunt: quia leo sibi à laqueis non cavet, vulpecula verò lupos non cavet. Ut itaq; laquei caveantur, vulpeculam agere oportet;*

33
ret; lupi verò ut terreantur, leonem. *Qui sanè simpliciter leonis vestigiis insistant, ii rem non tenent.* Qualia consilia in tantum probat cit. Conringius, in quantum ad nostram accedunt sententiam, in quantum verò confusè hic & sine distinctione usus fraudis loquitur Machiavellus, in tantum ea improbat. Verba ejus in Animadvers. Polit. in Machiavell. Princip. in Cap. hoc XVIII. & primum quidem ad hæc verba: *Confugiendum est ad posterius.* sic sonant: *Ita quidem comparatum est cum vita humana, propter improbitatem partim, partim & imperitiam mortalium, quibuscum conversandum nobis, ut interdum vi & dolis sit utendum.* Et paulò post ad hæc Machiavelli verba: *Tùm vulpis, tum leonis mores,* hæc adjicit: *Lysandrum Lacedæmoniorum ducem versatissimum, dicere solitum in vita ejus & in Apophtegmatibus scribit Plutarchus: quo peringere pellis leonina non possit, ibi assuendam vulpinam.* Ab illo videtur Machiavellus hanc leonis & vulpis imaginem mutuatus. Verùm Lysander ille usus est isthæc paræmiâ in commendationem fraudum & injustæ violentiæ, quas homo nullâ honesti ac inhonesti curâ, modo utile videretur, adhibebat. Itaq; illò Lysandri & Machiavelli sensu, in Principatibus justè partis, exempla isthæc belluarum verè non inveniunt locum. Etiam illis tamen Principatibus, ut omni vitæ hominis, quamvis boni, convenit aureum illud præceptum Salvatoris: *Estote simplices sicut columbe & prudentes, velut serpentes.* Quò sensu si Lysandri paræmiâ intellexeris, potest & illa in omni vita honesta admitti. Et hæc dicta etiam sunt de causâ secunda, VIRTUTE, in quantum ad fortunam concurrat confirmandam.

§. XXVI. Restat ratione tertiæ causæ, OCCASIONIS, quidpiam differamus. Quod non omni tempore facultates augeri possint, sed occasione tantùm debitâ affulgente, norunt

runt mercatores peritissimi. Eadem sæpè etiam amicitiam cum magnis contrahi posse ad stabiliendam fortunam, experientia perpetuò stat Magistra. Nonnunquam etiam, ubi fortuna nutare videtur, ad ejus restitutionem subito advolandum non est, (nisi fortè periculum planè in mora sit) sed prudentissimè occasio expectatur, quâ illa eò majori emphasi in effectum deduci potest. Ingenia enim hominum, quibus fortuna nostra stabiliri potest, peræq; ad hoc omni tempore non sunt disposita. Irritata ubi sunt, excusationibus sæpenuerò magis ad fervorem inflammantur, quam ad favorem commoventur. Cumprimis si accusantium pars ac ruinam intentantium fervore adhuc concitatur, & hostium potentia prapollet. Tali modò Romanorum fortunam egregiè restaurabat Fabius cunctator. Non enim ad vindictam contra Annibalem properabat, sed tantisper cunctabatur ac ludificabat, donec exoptata exurgeret occasio, quâ hostem vincere posset. Ex quâ actione *illi cognomen novum, Reipublica salutare, cunctator*. Florus Lib. II. Cap. VI. N. 27. Sed cumprimis hic in scenam adduci meretur *Regina Esber*, magni Ahasveri conjux, quæ hoc in passu quàm prudentissimè & quàm elegantissimè sese gessit. Voluti enim ad ejus fortunam obtinendam concurrebant tres causæ in priori Dissertatione descriptæ: *Deus*, qui decreverat eam Reginam, *Virtus*, quâ modestè ac humillimè coram Rege comparebat, & *Occasio*, quia Vasti, mandatum Regis spernens, occasionem præbebat Regi, ut virginem sibi eligeret, quæ Vasti loco uxor ejus futura esset; ita eandem concurrebant causæ ad fortunam ejus confirmandam: *Deus*, quem implorabat juxta §. nostrum XVI. & *Virtus*, quia decenter sese gerebat eò tempore, quò per Hamanis infidias ejus fortuna nutabat, sed cumprimis OCCASIO. Cum enim Haman

man omnium Judæorum, & per consequens Reginae quoq; fortunam evertere studeret, eò quod à Rege impetrasset, ut omnes Judæi à puero usq; ad senem, muliebris & virilis sexûs homines occiderentur; Esther Regina illicò non refugiebat ad Regem, ut imploraret ejus clementiam, sed occasione datà, eò majori emphasi hoc præstabat. Secunda vice enim, cùm Regem unà cum Hamane ad convivium invitasset, Rex merò victus, ad Reginam blanda hæc effundit verba: *Quæ est petitio tua ò Regina Esther, ut detur tibi? & quid vis fieri? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Quid Regina? Jam tempus opportunissimum affulsisse, quâ fortuna restaurari possit, rata, hæc Regi plena doloris respondit: *Si inveni gratiam in oculis tuis, Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego, & populus meus, ut jugulemur & pereamus, &* quærit ulterius Rex: *Quis est iste, & cujus potentia, ut hæc audeat facere?* Regerit Esther Regina: *Hostis & inimicus noster pessimus est iste Haman.* Lib. Esther. Cap. VII. & seq. Rex ad hæc supra modum commotus, jusfit Hamanem arbori illicò suspendere. Eò verò Esther, occasione quam prudentissimè arceptà, suam & Judæorum fortunam summa cum laude restauravit. Recentiorum exemplorum ingentem cumulum adducere possemus, chartæ angustia si patiretur.

§. XXVII. Et hæc etiam de tribus causis ad fortunam confirmandam concurrentibus, usurpandis, *quantum in viribus humanis positum est.* Interim nullus mortalium, ut ut sit fortunatissimus, dicere potest: Pius ero ergà Deum, prudentiâ utar ac occasione, indè certus sum, fortunam meam fore perpetuam. Hoc quidem in passu facimus cum Solone sapiente, *neminem ante obitum beatum esse.* Quot

F

enim

enim viri pii, cordati ac cœterum in officio prudentissimi, juxta ac candidi inexplicabili fatô, bonis, honoribus, patriâ imò vel vitâ inopinatò privantur? Non opus est hoc exemplis comprobare. Contingit id omnibus in locis, ubi crudelis Mars suam exercet atrocitatem, qui nec pietatis, nec virtutis habet rationem. Hac de causa autem hic objici posse videtur: Si observatio harum regularum indubitatò fortunam non confirmat, quid juvat eas strictè respicere? Sed respondemus I. observandæ sunt, quia ut plurimum juvant, & II. ne quid omiserimus ex iis, quæ in nobis posita sunt & ipsi infortunii nostri fabri esse videamur. Eodem ferè modo hic se habet res ac in re medica. Ægris enim medicamenta præscribuntur à Medico, quæ tamen non semper sanitatem restitunt, nam si mors à Deo decreta, frustranea sunt. Adhibenda tamen sunt, primùm quia spes est, juvare posse, & deinde, ne sanitatem nostram sponte negligere velle videamur. Talibus verò in casibus, ubi nec virtus juvare, nec Philosophia solari potest, recurrendum ad cœleste auxilium & superiorem doctrinam, unde doceamur, eversionem temporalis fortunæ respectu æternæ gloriæ nullum damnum esse, juxta estatum Pauli; *Existimo, quod non sint condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII. v. 18. Ad quæ cum in Philosophica cathedra excurrere non liceat, operi nostro finem imponimus, relinquentes eâ quâ par est devotione, omnis nostræ fortunæ, temporalis & æternæ Autori,

SOLI DEO GLORIAM.

¶ (o) ¶


ULB Halle
003 620 00X
3


Sb.

VJ
17







70.45
DISSERTATIO POLITICA
PRIOR,
DE


**TRIBUS CAUSIS,
DEO, VIRTUTE ET OC-
CASIONE, AD FORTUNAM
HOMINIS CONCURRENTIBUS
OBTINENDAM,**

Quam,
SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIAE & ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c. &c.
AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSU,
IN ACADEMIA REGIOMONTANA PATRIA,
Publica discussioni subjiciunt,
PRÆSES,

M. CHRISTIANUS MASECOVIUS,

Regior. Alumn. & Commun. Convict. Insp. Secund.
ET RESPONDENS,

CONRADUS Steinhövel

Tapiav. Prussus.
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
ANNO M DCC VI. d. 21. Jul.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.